Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

[Tabulae directionum et profectionum]

Regiomontanus

[S.l.], 1560

Problema II. De profectionibus annuis, quo perting at [...]

urn:nbn:de:bsz:31-132675

Visual Library

5. Tandem dirigere incipias, primum ab Horoſcopo quartam domum verſus, ſubtrahendo Aſcenſionem loci dati, ab inſequentibus Aſcenſionibus obliquis inventis, quousque libuerit. Abſolutis directionibus Horoſcopi ſive Aſcendentis, dirigere poteris Cœli medium, Solem, Lunam, partem fortunæ, ad ſe invicem, ad fixas, ad Planetas, eorumque antiſcia, & aſpectus, ad terminos ſeu fines, ad domorum cuſpides, item omnes reliquos Planetas, ♄ ♃ ♂ ☿ ☿ cum ☌ & ☍ gradum etiam conjunctionis vel oppoſitionis Luminarium, Nativitatem præcedentis, Cometam coincidentem &c. atque hæc omnia niſi libellus nimium excreſceret, exemplo aliquo commonſtranda eſſent, quæ tamen Benevolo Lectori, alio tempore, ſi Deus vitam mihi prolongarit, expectanda ſunt.

Cum verò, teſte Origano, fol. 735. directionum ea ſit natura, ut vim ſuam, non ſemper eo, in quem incidunt, anno, exerant, ſed vel anticipent, vel in ſequentium aliquem differant, iſtum nimirum, quo convenientibus revolutionibus, tranſitibus, vel profectionibus juvantur, ac extimulantur, neceſſario illis jungendæ ſunt Revolutiones Annuæ, tranſitus ſuperiorum Planetarum ☌ item & ☍ cum Profectionibus; Aſt de Revolutionibus annuis, ſupputandis ſupra Problemate 20. actum. Sic tranſitus ex traditis Ephemeridibus, deſumi poſſunt, reſtat ut de profectionibus paucis agamus.

PROBLEMA II.

De profectionibus annuis, quo pertingat profectio ſignificatoris cujuſpiam, in tempore aliquo dato nullo negotio experiri.

PRofectiones Annuæ nihil aliud ſunt, quam locorum Genituræ quorumcunque ſub Zodiaco æquales progreſſiones, quibus quovis anno Solari ſignum, & 12. Annorum ſpatio, integram,

gram Revolutionem perficiunt; Competunt primariò locis Hylegialibus, Horoscopo, Cœli medio, Soli, Lunæ, & parti fortunæ, secundariò verò reliquis etiam Planetis, itemque ♋ & ♋ & exactis 12. Annis in orbem redeunt, & unde digressæ sunt, revolvuntur. Ita si Hyleg anno primo esset in 10. gr. ♍ perveniret anno secundo ad 10. gr. ♉ anno tertio, ad 10. gr. ♊ & sic consequenter; Sic annus, 1.13.25.37.49.61.73. habent profectiones Annuas æquales radici; Mensis autem & dies profectionis quibus quilibet promissor suo significatori, est occursurus, hoc modo investigantur; subtrahe locum significatoris, cujus profectio instituta est, à loco promissoris accommodatis 30. gradibus, si alias subtractio fiere nequit, & reliqua erit distantia promissoris à significatore, in partibus Zodiaci; Cum hac distantia ingredere tabulam Profectionum & reperies dies ac horas, quos à Nativitatis die numerabis & sic in venies mensem ac diem in quem proposita profectio terminabitur. Dominus signi profectionis Ascendentis, dicitur Dominus Anni; Ex profectione Horoscopi dijudicantur Anni felices & infelices; Felices sunt quando pertingit, ad Sextilem & trigonum; Infelices si venerit ad domum 6. vel 8. aut 12. Ex Profectionibus oriuntur anni Climacterici, scalares, & decretorii, de quibus Origanus pag. 770. consulendus. Cur autem Annus 63. sit periculosissimus climactericus, causam naturalem nemini adhuc unquam cognitam adjungam. Profectio maxima, quam postmodum adjungam, absolvit signum Annis 360. & 12. signa, seu integrum Circulum Annis 4320. Hisce annis competunt in motu stellarum fixarum 63. gradus hoc modo.

		S.	G.	M.	S.
4000.	dant.	1.	28.	20.	0.
300.	——		4.	22.	30.
20.	——			17.	30.
		2.	3.	0.	0.

Problema II.

Sunt præcise gradus 63. uti constat ex mea Harmonia motuum Cœlestium. Si hisce annis 4320. adduntur Anni diluvium Universale Noachi antecedentes, exurgunt, Anni 5976. quo temporis intervallo stellæ fixæ absolvunt 87. gr. 19. min. 13. sec. Atque hos gradus & hæc minuta observant Sol, & Luna in omnibus suis Revolutionibus. Exempli gratia: Annus Solaris continet supra 365. dies, horas 5. min. 49. secunda 13. Hic excessus dat in Æquatore 87. gr. 19. min. 13. sec. Annus Lunaris continet 354. dies, 8. horas, 48. min. 39. secunda. Motus Solis huic tempori congruens, habet 5. Sexagenas 49. gr. 16. min. 52. sec. quæ dant in Æquatore 87. gr. 19. min. 13. sec. Mensis Lunaris habet dies 29. horas 12. min. 44. sec. 3. qui dant. in motu Solis 29. gr. 6. min. 24. sec. 20. tert. ter sumpti numeri largiuntur 87. gr. 19. min. 13. sec. Excessus Solis in Annis 19. dat 87. min. 19. sec. in Annis 76. 5. hor. 49. min. 13. secunda.

Problema III.

De progressionibus Universalibus.

INsignis ac ferè ineffabilis usus est progressionum, seu profectionum Universalium, tam in macrocosmo, quam in microcosmo; Et quamvis triplex sit, unica tamen tantum est. Nam media procedit à maxima, & est ejusdem Dodecatemorion Annua procedit à meridia, estque ejusdem dodecatemorion. Maxima absolvit signum spatio Annorum 360. & integrum Circulum, intervallo Annorum 4320. periodum Annis 5976. erat tempore creationis, abhinc annis 5445. retro in 15. gr. ♊ tempore diluvii in 3. gr. ♏ tempore passionis Christi in 3. gr. ♉. Tota periodus complectitur 16. Signa 18. gr. quemadmodum Latitudo Zodiaci 16. gr. & 18. min. comprehendit, ultra quos gradus ♂ & ♀ non divagantur, Austrum versus & Aquilonem.

Intrat